

## **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In quo tractatur de Ministro Sacramento Pœnitentiæ. Item de Sacramentis  
Extrema Unctionis, & Ordinis

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1672**

Concl. IV. Inungendus solus fidelis infirmus, de cuius morte timetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73429](#)

Quin immo certum videtur, quod aliquid faciet, estò prima sufficeret; sicut secunda & tertia ablutione aliquid facit, si praecedant formam Baptismi, estò prima sufficeret. Cur ergo non erit licitum secundam unctionem adhibere; immo cur non præceptum, ad evitandam omnem incertitudinem Sacramenti? Eo semper salvo, ut commodè adhiberi possit.

In illa ergo sententia, non video, quare hoc foret illicitum; immo quare non foret præceptum. Porro in nostra sententia, qua docet per primam unctionem esse collatam partialem gratiam Sacramenti, res habet majorem diffidatatem; & forte Faber & Ochagavia secundum illam locuti sunt; cum enim iam tunc positus sit partialis effectus, & aliis ponit non posse per secundam unctionem ejusdem partis corporis (suppono quippe hoc Sacramentum esse initerabile in eadem infirmitate) qua duplicitas consecrationis ejusdem hostie, eadem omnino videtur esse ratio duplicitis unctionis ejusdem partis corporis; & proinde sicut illa est illicita, ita & hæc videtur esse illicita.

Interim, quia hæc sententia non est omnino certa, Sacerdos potest sequi sententiam probabilem contrariam, quod priores unctiones sunt nullius momenti. Deinde potest in dubio de valore praecedentis unctionis, repetere eam, addendo mentalem conditionem, ut in aliis Sacramentis in casu dubii. Quāvis enim non sit Sacramentum omnino necessarium, saltem communiter, tamen est valde utilis, & appositi illa conditionis tollit omnem irreverentiam.

De cetero, quæ successivæ unctiones, eadem est ratio simultaneæ, si necessitas exigat eam sic fieri, v. g. si infirmus adeo morti sit vicinus, ut mortaliter loquendo unus Sacerdos non possit omnes unctiones perficere, ne Sacramentum vel nullo modo administretur, vel saltet maneat integraliter imperfectum, videtur licet plures adhibere Sacerdotes ut simul & semel unus ungar oculos, alter manus &c. quilibet autem proferat debitum formam super unctionem à le factam: nam ea coëxistentia est omnino per accidens, cum unus non impedit alterum, nec aliunde inveniri possit ratio, quæ petit ad valorem ejus Sacramentum successionem unctionis. Et ideo hanc sententiam docet Diana supra resol. 88. cum Præposito, Suario, Barbola, Filliucio, Villalobos, & Victorelo, quos citat.

Et quāvis raro sit tanta necessitas, & vix contingat, ut simul adhinc alii Sacerdotes parati, & ut unus non impedit accessum alterius ad infirmum, ita ut fortasse ciuitas unus possit omnes eas unctiones perficere, quām duo aut tres simul; nihilominus physicè non est casus impossibilis; aliquando enim contingit infirmum expirare ante perfectum hoc Sacramentum; ergo ex parte infirmi potest esse ea necessi-

sitas, quod si unus Sacerdos sit ex una parte levè, alter ex altera, sicut aliquando natum est fieri, possunt se non impediendo unus manus, alter oculos aut narres, tertius pedes simul tempore inungere. Atque hæc sufficiant de Ministro Extremæ Unctionis; pauca subiicit de ejus Subjecto, atque in primis dico:

## CÖNCLUSIO IV.

Intingendus solus fidelis infirmus, de cuius morte timetur.

**E**st sententia communis, etiam sic intellecta, Probatio  
ut Sacramentum aliás, non solum sit illici-  
tum, sed etiam invalidum.

Ratio à priori; voluntas instituentis, quæ col-  
ligitur partim ex verbis Iac. Apost. partim ex  
communi sensu & Traditione; multa quippe ob-  
servat Ecclesia in administratione hujus Sacra-  
menti, quæ non sunt scripta, ut patet ex dictis,  
& adhuc patet ex dicendis:

Quod igitur solus fidelis sit intingendus, Probatio  
ostenditur ex illis verbis Iac. Apost. c. 5. Infir-  
matur quis in vobis? scilicet, qui ejus fideles;  
nam sic incipit suam Epistolam: Iacobus Dei &  
Domini nostri Iesu Christi servus, duodecim tribubus,  
quæ sunt in dispersione, salutem. Omne gaudium ex-  
stimate fratres mei &c. Quis ergo dubitet, eum  
scribere fidelibus? Et sane quid aliud signifi-  
cant illa verba: Inducat Presbyteros Ecclesie?  
Et ista: Oratio fidei salvabit infirmum?

Quod probè intelligens Cöncil. Trident. 69.  
fess. 14. de hoc Sacram. c. 1. ait: Infirmitas est  
autem sacra hec unita infirmorum, tamquam vere  
& proprie Sacramentum novi Testamenti à Christo  
Domino nostro, apud Marcum quidem infirmatum, per  
Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fi-  
delibus commendatum ac promulgatum. Fidelis-  
bus, inquam, id est, baptizatis, cum Bap-  
tismus sit iuncta Ecclesiæ & per consequens  
aliorum Sacramentorum, quæ sunt columnæ  
Ecclesiæ, ut suo loco diffusus probavimus, &  
ideo hic supercedo.

Tantum addo ex Trid. suprà in procēdio: Hoc  
Sacramentum non modo Parientis, sed etiam totius  
Christianæ vite..., consummatum existimatum est  
Parientis. Et infra: Quemadmodum (Redemptor no-  
strus) auxilia maxima in Sacramentis aliis preparavit,  
quibus Christiani conservare se integrum dum viverent,  
ab omni graviore spiritus incommode possint; ita Extr.  
Vñt. Sacramento finem vite (Christianorum) tam-  
quam firmissimo quedam præsidio manivit. Et queso,  
qui Christiani, nisi quos Christus D. lavacro  
ad infirmum, sui corporis membra semel effecit?

Supponit ergo Extrema Unctio vitam Chri- 70.  
tianam inchoatam in Baptismo. Supponit Sa-  
cram. Parientis, quod nemo validè suscipit,  
nisi fidelis, id est baptizatus, cum teste Trid. su-  
pra de Sacram. Penit. c. 2.) Ecclesia in nem-  
per Baptis-  
tum.

L 112 nem

66.  
Dicitur intel-  
ligenda est  
juxta no-  
stram sen-  
tentiam.

67.  
Quæ succed-  
vit usq[ue] ad  
bis. eadem  
est ratio si-  
multanea.

Dicitur  
Prestostris,  
Sacerdotis,  
Barbola,  
Filliucio,  
Villalobos,  
Victorelo.

nem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus. Si ergo Extrema Unctio est consummativa Sacramenti Peccati, Ecclesia neminem sacramentaliter inungit, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus.

Dico; *Sacramentaliter*; quia ceremonialiter inungit Catechumenos, quos constat nondum esse baptizatos. Censes autem, quod in extremis conferret eis Sacramentum Extremae Unctionis? Nolo id censeas, estō impossibilis foret Baptismus; sicuti etiam eos non absolvaret a peccatis.

*71.*  
Solum infirmus est inungendus,  
ex Iac. v.  
Sed numquid sicuti solus, ita omnis fidelis  
seu baptizatus inungendus est? Minime, sed  
solus infirmus, ut dicitur in Conclusione, &  
facili manifeste significatur apud Apost. Iac. ibi:  
*Infirmatur quis in vobis?* Non ergo mortuus  
inungendus, non sanus, sed infirmus. Ita Scro-  
tus 4. dist. 23. q. un. n. 3. ibi: *Substatur, Ho-*  
*minis infirmi, ideo non debet conferri sano.* Lo-  
quitur de hoc Sacramento.

Ac proinde unctio illa, quae olim circa cor-  
pora fideliuum defunctorum fieri solebat, ut ad  
sepulturam præparentur, sine dubio non erat  
hoc Sacramentum, neque aliud; cum omnia  
sint instituta pro viatoribus, qui sunt capaces  
medicinae, vel augmenti gratiae, ut suo loco  
vidimus; sed ceremonia aliqua pia, fortasse ad  
imitationem eorum, qua in lege veteri fieri  
solebant, & qua circa corpus Christi Domini  
in Evangelio facta esse legimus.

*72.*  
Inungendus  
sub condicione, de  
quo dubi-  
tatur, an sit  
mortuus.  
Sanchez.  
Rit. Rom.  
Unde ulterius infertur; quando dubium  
est, an fidelis verè sit mortuus, nec potest ve-  
ritas omnino explorari, ac meritò timetur, ne  
dum exploratur veritas, moriatur, dari posse  
& debere hoc Sacramentum sub conditione, aut  
verbis expressâ, aut mente conceptâ: *Si non es*  
*mortuus.* Generale enim omnibus Sacramentis  
est, ut in casibus dubiis possint hoc modo mi-  
nistrari: nam per adjunctionem conditionem tol-  
litur omne periculum, irrogandi injuriam Sa-  
cramentum: & ministrando Sacramentum illo  
modo, vitatur omne periculum privandi pro-  
ximum magno subdicio & remedio sua salutis,  
cujus fortasse adhuc capax est; ideoque in hac  
doctrina omnes Summi & Theologi conve-  
niunt. Ita Suarez hic Disp. 42. Sæc. 1. n. 1.

Et expresse prescribitur in Rit. Rom. tit.  
de Sacra. Extr. Unct. his verbis: *Si quis labo-  
rat in extremis, & periculum imminet, ne decedat,*  
*antequam finiantur unctiones, citò angatur, incipien-  
do ab eo loco:* Per istam sanctam unctionem &c.  
Deinde si adhuc supervivat, dicantur orationes pre-  
termissee. *Si verò dum inungitur, infirmus decedat,*  
Presbyter ultra non procedat, & predictas orationes  
omittat. Quod si dabiet, an vivat, adhuc unctionem  
prosequatur, sub conditione pronuntiando formam  
dicens: *Si vivis per istam sanctam unctionem &c.*

*73.*  
Sanos non  
sint inungendi, præter verba Iacobi, abundè pro-

bat universalis praxis Ecclesie Romane, que de-  
numquam legitur, homini sano hoc Sacramen-  
tum administrasse.

Dico: *Ecclesia Romana;* etenim quidam Re-  
centiores Graci (inquit Herinex hic n. 42.)  
notanter Simeon Thessalonicensis, affirmav-  
sanos quoque esse hujus Sacramenti capaces,  
idque de facto a plerisque illius nationis obser-  
vari, testatur Petrus Arcadius lib. de Extre-  
ma. Unct. c. 4. Immo in Euchologio Gravorum  
ipse Titulus habet: *Officium olei peregrinationis*  
*Ecclesia, vel in domo, quasi nempe pro sanis in*  
*Ecclesia, pro infirmis in domo sit peregrinum.*

Sed Jacob. Goar, in Notis ad Off. Olei, id ita explicat, quod graviter & desperatè infirmi ungantur domi: cum apud Gracos agri plerique è plebe, aliorum manibus & ope suadeant se deferri ad Ecclesiam, ibique nonnumquam plurimum dictum spatio in Catechumenos jaceant, & sacra tandem unctione sibi resdiunt exposcant.

Quod autem adstantes completo Sacra-  
mento interdum petant inungiri, eti sano, vel to-  
tum leviter infirmi, idque ex devotione ob-  
spiritualem benedictionem, vel etiam lenitem-  
tum doloris obtainendum; testatur idem id fieri  
per unctionem mere ceremoniale, etiam ex  
mente Graecæ Ecclesie (quidquid Arcadius  
secus senserit) & intentione iporum Presbytro-  
rum, eti unctioni adhibentium similem  
rationem.

Eodem modo excusat alium ritum (quem  
Arcadius arguit) quo totus orationum &  
attentionum apparatus suscipitur à gravi peccatore  
sano, vi penitentiae imposito; quod scilicet  
erit ex mente adhibentum, sit tantum quod  
ceremoniale, valens ex opere operantis, ut  
spirituales infirmitates peccatoris curantur.  
Quamquam (ut addit) S. R. Ecclesia mori-  
gerendo, sicut potius Graci ab hac confluente  
deterrendi, ob periculum erroris, abutit  
aut illegitima intentionis. Haculque Herinex.

Uicumque sit de Ecclesia Graeca, certum  
est, Ecclesiam Latinam solum infirmorum in-  
gere; ita ut etiam neget hoc Sacramentum in  
qui violentia morte intereunt, v.g. qui de-  
pitant vel suspenduntur, ut expresse statu-  
tur in Rit. Rom. supra ibi: *Non mandatum*  
(Extrema Vnoctio) *præsumit utitur, aut novi-  
tionem, aut peregrinationem, aut alia pericula ful-  
litrur, aut rei ultimo supplicio max afficiuntur.*

Vnde ad exempla aliquorum Sanctorum in  
contrarium respondetur, eos uolos suis hoc ele-  
git, aut alio similiter benedicto, ad patenda mira-  
cula, non autem per modum Sacramenti.

Audite Doctorem Seraphicum 4. dist. 22.  
a. 2. q. 2. Ad illud, quod obicitur de his, qui  
trahunt iustum bellum, dicendum: quod eti tales  
in periculo mortis secundum scripturam, non tam  
secundum naturam; Sacramenta autem Ecclesiæ

non fortunam sequantur, sed naturam respiciunt. si  
ta obvias de illo, qui damnatus est per sententiam;  
descendit, quod talis infamis est in facie Ecclesie,  
etiam secundam veritatem non habeat culpam: &  
sic pater ratio illa. Hæc S. Bona. Et Doct. Sub-  
tilis suprà sic ait: Nec qualitercumque expatio pe-  
riculo mortis (debet conferri hoc Sacramentum)  
quia non ei, cui immixta morte ex periculo extrinseca  
violentia, ut armorum, vel submersione vel huic-  
modi.

76.  
Siles in-  
famus de  
eius morte  
timetur et  
inangendus  
ex Conc.  
Florent. &  
Trident.

Si autem à me queritur, ab omnis infirmis  
sit inungendus. Responsio negativa patet ex  
Conclusione; sed ille tantum, de cuius morte  
timetur, ut in terminis docet Conc. Florent.  
in Decreto Eugenii ibi: *Hoc Sacramentum nisi  
infirmo, de eius morte timetur, dari non debet.*

Et Trident. sess. 14. de hoc Sacram. cap. 3.  
ait: *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis  
adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculo-  
se decubant, ut in exitu vita constituti videantur:*  
unde & *Sacramentum exercitum nuncupatur.*

77.  
Objec.  
to.

Sed esto, dicet aliquis; non debeat hoc Sa-  
cramentum dati, nisi infirmo, de cuius mor-  
tem timetur, numquid saltem valeret, quod alteri  
infirmo datum fuerit? Neque enim *ly Debet*,  
significat necessitatem Sacramenti; sed præ-  
cepti tantum. Addit. Conc. Trident. dicens: *illis  
vero praesertim &c. quo significat, validè iis et-  
iam conferri, qui non ita videantur esse in peri-  
culo mortis, dummodo alioqui graviter ægrotar-*

Hanc sententiam docet Coninck hic n. 25.  
dicens: *Etsi, ut Sacramentum hoc licite detur,  
requiratur, ut suscipiens bonâ fide credatur esse  
in periculo mortis; non tamen videri invalidum,  
si derur graviter quidem ægrotanti, ta-  
men sine vero periculo mortis. Quia si requi-  
reretur ad essentialia Sacramenti, ut subfet ve-  
rum periculum mortis, non posset hoc Sacra-  
mentum conferri, nisi agenti jam omnino ani-  
mam; quia alijs communiter dubius esset va-  
lor Sacramenti, quia communiter ferè dubium  
est, an vere sub sit periculum mortis.*

Si responseris; sufficere, ut bonâ fide creda-  
tur sobesse. Respondeat præfatus Auctor: Bo-  
nam fidem non supplere, quæ sunt essentialia  
Sacramento: quare si non valeat Sacramentum,  
quando securum agrotum non esse in periculo  
mortis, neque valebit, si creditur in eo esse, si  
revera non sit.

Regium sequitur Wiggers hic n. 3. ubi que-  
rit; an si mōrbis quidem sit, sed non ita gra-  
vis, utrum Sacramentum hoc haberet aliquem  
effectum; & Respondet: Si ægrotatio sit val-  
de levis, verisimile est nihil effici, quia Apo-  
stolus & citata Concilia de gravi infirmitate  
loquuntur: si autem sit gravis, quāvis non  
ita periculosa, probabile est, Sacramentum hoc  
fote validum; peccaret tamen, qui sciens sic  
vel conferret, vel susciperet; dicit enim Conc.  
Florent. non debere dari nisi infirmo, de cuius  
morte timeatur. Hæc ille

79.  
Conciliū  
sententia  
doceat, non  
valere Sacra-  
mentum in peri-  
culo mortis.

Sed nullum citat pro se Auctorem, uti nec  
Regius: adeoque propter duos Auctores non  
est recendendum à communi sententia, quæ re-  
quirit non solum ad licitum, sed etiam ad  
validum Sacramentum, periculum seu timorem  
mortis. Alioquin cur non sufficiat quilibet in-  
firmitas, etiam non gravis; neque enim Apo-  
stolus aliud videtur requirere, quām infirmi-  
tatem.

Si respondeas in texu Græco ly Infirmitatur,  
significat: Infirmitate deficit. Contrà, sit Arria-  
ga Diph. 53. n. 46. ad faciendum dogma fidei,  
non est recurrendum; nisi ad vulgatam lectio-  
nem.

Addo ego (qua facile Adversarii repone-  
tent, le non velle statuere dogma fidei) mul-  
tos graviter ægrotare; qui tamen non ideo in-  
firmitate deficiunt, ut sunt podagrī, calcu-  
losi & similes; vel si infirmitate deficiunt, &  
consequenter de illis loquitur Iacobus, cur Ec-  
clesia prohibet, ut inducant Presbyteros, qui  
orient super eos, ungentes eos?

Ergo ly Infirmitatur apud Iacob. intelligitur  
de omni infirmitate, etiam non gravi, vel de  
fola infirmitate, qua habet adjunctum timo-  
rem mortis, ut illud interpretatur Conc. Flo-  
rent. magis ex Traditione, quām ex vi hujus  
verbi latini, aut etiam aliorum subsequentium.

Nam quod aiunt quidam, ly Inducat, id est,  
advocet seu accerfat, denotat gravem corporis  
afflictionem seu infirmitatem; quārē detine-  
tur, quid tum? Nonne infirmitates suprà enu-  
merat & tales sunt? Et tamen non habent ad-  
junctionem semper timorem mortis.

Et sane si quis podagricum, aut calculosum,  
vel laborantem continuis febris suis oratione  
miraculose liberasset, nonne de eo recte dice-  
retur: *Oratio fidei salvavit infirmum, & Dominus  
alleviavit eum? Procul dubio, & tamen non erat,*  
ut suppono, timor mortis.

Ergo præcisè ex illis verbis Apostoli non  
potest colligi necessitas timoris mortis, ut hoc  
Sacramentum vel licite, vel validè administre-  
tur. Et tamen à Florent. requiritur, secundum  
Omnes, ad licitam administrationem. Cur non  
etiam ad validam? Nulla quippe appetet ratio,  
tam generaliter prohibendi Sacramentum vali-  
dam, & privandi fideles magno fructu illius  
Sacramenti, tam spirituali, quam subinde etiam  
corporali. Itaque Concil. Florent. edictum à  
Spiritu sancto per continuam Traditionem, in-  
tellexit verba Iacobi de tali infirmitate, quæ  
habeat annexum timorem mortis. Ut si etiam  
Doctor Subtilis suprà dicens: *Nec qualitercumque  
infirmo (debet dari hoc Sacramentum) sed  
periculose, ita quod probabiliter imminet sibi exitus  
de statu viatoris ad terminum.*

Neque repugnat Concil. Tridentinum: quia  
plus est aliquem in exitu vita videri constitu-  
tum, quam solum de ejus morte timeri. Unde  
non dicit Concil. illis præsertim adhibendam esse  
Responso  
ad Conc.  
Trident.

hanc unctionem, de quorum morte timetur; sed, illi prasertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vita constituti videantur; id est, quibus mors non tantum est in timore, sed quasi in conspectu; si forte non fuerit eis adhibita, quando solum erat timor mortis.

Addidit ergo Trident. ly Praesertim; ne videatur velle restringere id, quod ante dixerat Florentinum. Deinde, ut reprimaret calumniam Hereticorum, tridentium, quod jam jam morituris demus Sacramentum.

83.  
Responde-  
tur ad ra-  
tionem  
Regii.

Ad rationem Regii supradictam in contrarium, Respondeo; non ideo communiter dubium esse valorem Sacramenti, quia communiter ferè dubium non est, an vero subsit periculum mortis, periculum, inquam, non physicum, sed morale, id est, communiter ferè non est dubium periculum mortis, quāvis dubia sit ipsa mors. Iam autem Concil. non requirit certitudinem mortis, sed, dumtaxat justum seu prudentem timorem mortis, ut licet & validè possit hoc Sacramentum administrari & suscipi.

Atque ut hic & nunc aliquando invalidè defectu infirmitatis administraretur, quid rum? Non est Sacramentum necessitatis per se loquendō, sed tantum utilitas; & facilius fieri potest, ut Sacramentum Pœnitentiae, quod tamen necessitatis est, invalidè administretur, defectu doloris supernaturalis, qui difficultius cognoscitur, quām periculum mortis; quis tamen propterea docet, sufficere dolorem naturalem?

84.  
Ratiōnē  
ad ministran-  
tūr hoc Sa-  
cramentū  
invalidē de-  
fectū infir-  
mitatis.

Interim ut tanto minus sit periculum invalidè administrandi Extremam Unctionem, quoniam potest iterari in eadem infirmitate, ut infra patebit, solent homines non adeò festinare, sed saepius (quāvis id non expedit, ut statim dicam) expectare, non solùm certum periculum, sed etiam certam mortem, ut rarissime invalidè administretur hoc Sacramentum defectu sufficientis infirmitatis.

85.  
Non expé-  
dit expecta-  
re usque ad  
ultimum  
articulum  
ex Catech.  
Rom.

Sed numquid expedit usque ad ultimum articulum expectare, dum nulla amplius vigeret spes vitae, & iam infirmus caret sensu & cognitione?

Audiamus Catech. Rom. p. 2. c. 6. q. 9. Cum illi tantum, qui morbo laborant, curatione indigeant, idcirco ius etiam, qui adeò periculose agroti videtur, ut, ne supremus illius vita dies infest, metuendum sit, hoc Sacramentum præberi debet. In quo tamen gravissime peccant, qui illud tempus agroti ungendi obseruant solent, cum iam omni salutis spe amissæ, vitæ & sensibus careere incipiat; constat enim ad ubiorem Sacamenti gratianam percipiendam plurimum valere, si agroti, cum in eo adhuc integrum mens & ratio vigeret, fidemq; & religiosam animi voluntatem afferre posset, sacro oleo linatur.

Quare Parochis animadvertisendum est, ut eo possitimum tempore celestem medicinam adhibeant: illam quidem semper vi sua admodum salutarem, cum eorum etiam pietate & religione, qui curandi sunt, ma-

gis profutaram intellexerint. Numquid magis profutura iis, qui naturaliter non possunt supervivere, sed certò morituri sunt; quam iis, qui abhuc naturaliter loquendo supererit aliqua spes vita?

Contrarium verissimum est; quia Deus non solet facere miracula in hoc Sacramento, id est, non solet per conspicuum miraculum restituere sanitatem corporalem naturaliter depletatam. Sæpius autem dum achuc supererit spes vita, restituit plenam sanitatem, inspirando media naturalia. Ergo gravissime peccant, qui nolunt inungere agrotos, dum in eo achuc integrum mens & ratio vigeret, & dum achuc supererit spes aliqua vita; quia contra ius, quod habet, privant eum majori fructu spirituali, & forte too fructu corporali.

Meritò, inquit Herinx hic n. 41. redigendus est abusus multorum, sive Parochorum, sive Medicorum, sive aliorum habentium curam infirmorum, qui illud tempus agroti ungendi studiosè oblerant, cum in omni sanitatis spe amissæ, vitæ & sensibus careceret. Ex quo nascitur aliis abusus interibilis, ut hoc saluberrimum Sacramentum, quod ad sanitatem restituendum secundum institutum, à plurimis pessim habeat pro ligno sanitatis desperatæ, & mortis infallibilitate secutur. Qui abusus deberet instructione iam publicâ Concionatorum extirpari. His peste laborantibus, aut iis, qui venenom mortiferum hiberunt, vel lethaliiter vulnerari fecerunt, potest hoc Sacramentum statim ministeriat, immo ordinariè expediri, eti adhuc vegeti videntur. Ita hic Author.

Et Hesselius supradicta c. 67. ad idem propatum sic scribit: Vult imprimis Iacobus, quod Tempore agroti, inducat Ecclesie Prelatos, cum illisque Domini misericordiam gloriam preceatur, ac magna devotione, ac reverentia, unctionis ab illis Sacramentum accipiat. Deinde ex ista pessima hujus Sacramenti dilatione, magna in Deum, episcopos Sacra mentem sequuntur blasphemie. Putant enim quidam, diabolus suggestente, Extremam hanc unctionem mortiferam, & adducere mortem posuisse, quam fanare, ideoque vehementer à Sacramento hoc deterrentur: & agri admôdum eis persuaderi, ut id suscipiant.

Sed unde impia hat & blasphemica opinio illos invasit, nisi quia advertunt eos, quid Sacramento isthac unguntur, ut plurimum interire? Domini mirum tunc demum Sacramentum accipiant, cum vivere amplius non possint, cum ratione & intellectu omni privarunt, minimumque abest, quia animam exhaleant, atque expirent? Certe non mirum est, quod tales, qui sic absque omni devotione, fide, ulla que rationis, unctionis Sacramentum accipiunt, non convalescant, neque ad sanitatem redeant.

88.  
Nullum jus  
prohibet  
post fuscum  
primum Ext.  
Uit facere  
testamen-  
tum.

Ex eadem radice prodit; quod aliqui dicant, se cùm graviter etiam infirmantur, nollè tamen adhuc Unctionem suscipere, còd quòd non posseint, ut aiunt, postea condere testamentum, aut quidquam de rebus suis disponere. Ea enim invaluit apud multos opinio, quod illi, qui inuncti sunt, nullam habeant potestatem aliquid circa bona sua disponendi vel ordinandit: quia videlicet viderunt, quod illi qui inunguntur, parùm aut nihil amplius sensus aut rationis habent: quod nimurum tam serò unctionis Sacramentum suscepint, ut postea nihil cum intellectu aut iudicio facere possint. Et certè hoc experientia discimus. At vero tenendum est, nulla omnino iura prohibere, ne quis post susceptionem Unctionis testamentum faciat, aut quidquam de rebus suis ordinet: sed relinquitur homini tam liberum, Sacramento illo suscepito, quod voluerit de rebus suis facere, quàm unquam antea. Nemo igitur per hanc inaniter terreatur. Hucusque Hefselius.

Rit. Rom.  
Finio verbis Rit. Rom. suprà: *Extrema Unctionis Sacramentum à Christo Domino institutum tamquam celestis medicina non anima solum, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia periculosè agrotantibus adhucendum est; & eo quidem tempore, si fieri posit, cùm illis adhuc integræ mens & ratio viget: ut ad uberiorum Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro limiuntur oleo. Et in ista: Debet hoc Sacramentum infirmi preberi, qui cùm ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum immovere videatur, & ita, qui pre senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate. Quoniam sene-etus ipsa morbus est.*

Sed quorū additur illa particula, Cùm ad usum rationis pervenerint? Attendite his, quæ dicentur Conclusione sequenti, in ordine

## CONCLUSIO V.

Non potest inungi infirmus, de quo nequit præsumi, quod aliquando peccaverit actualiter. Igitur neque puer carens usu rationis, neque perpetuò amens.

89.  
Pecatum  
est malum  
volunta-  
tum ex  
D. Aug.  
Volunta-  
tum requi-

**C**onsequens hæc est evidens, quia neque de tali puer, neque de perpetuò amente præsumi potest, quod aliquando peccaverit actualiter, cùm omne peccatum actualē essentialem postuleat usum rationis. Usque adeò enim peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Aug. audistis lib. de vera Relig. cap. 14. Et voluntarium quomodo esse poterit sine usu rationis? Est

quippe voluntarium; quod procedit à voluntate ex prævia cognitione intellectiva.

Igitur de secunda parte Conclusionis non est dubitandum, supposita veritate primæ partis, quæ restat probanda, & non modicam patitur contradictionem. Interim quia videtur esse Scoti, ideo eam elegimus. Subscribo verba Scoti:

*Quod additur, Peccantibus; patet; quia nullus est capax istius Sacramenti digne, nisi sit in gratia: istud enim Sacramentum, non est remedium (per se & primarium) acquirendi gratiam, quia ad hoc sunt tantum Baptismus & Penitentia. Et ex hoc excludantur non uentes ratione, ut parvuli, & qui non habent materiam penitentie, saltem qui non habent penitentiam de venialibus, ut perfectè innocentes. Quia etiam non uentes ratione non possunt esse penitentes, excludantur farosi & amentes, & hoc nisi per voluntatem præcedentem expressam presumantur illud velle.*

Ergo secundum Doctorem Subt. nullus est capax hujus Sacramenti, nisi qui potest esse penitentes; nemo autem potest propriè esse penitentes; nisi qui aliquando peccavit actualiter: ergo &c.

Atque hanc sententiam docet Hiquæus in suo Comment. ad illum locum Scotti n. 14. & seq. Nagn. & Sylvius hic q. 32. a. 4. Sancius in Select. Disp. 27. n. 18. Aversa hic Sect. 8. & quidam Alii. Eamque probabiliorē existimat Valquez in 3. part. to. 2. disp. 119. c. 8. n. 74. dum probabiliorē existimat opinionem, quæ docet, B. Virginem non recepisse hoc Sacramentum; et, inquit, quod neque forma hujus Sacramenti verè super B. Virginem posset proferri, neque effectus primarius, ad quem hoc Sacramentum institutum fuit, & formā ipsā verborum significatur, in B. Virginem convenire posset.

Nam hoc Sacramentum, non solum contra peccata, sed etiam contra reliquias peccatorum primariè institutum est. Sunt autem reliquia peccatorum non pravi aliqui habitus, aut qualitates in homine existentes; sed fastidium, quod ex memoria peccatorum in ipsa aegritudine, & fine vita generari solet; sicut etiam ex ipso morbo. Hoc igitur Sacramentum confert auxilium gratiæ, ut corroboret infirmitatem nostram ex peccatis præteritis contractam, & ita ad eundem effectum inungimur, ut ita tentationibus dæmonis, quæ ex memoria illa peccatorum graviorē esse solent, vehementius resistamus.

Quocirca ipsā formā verborum, non solum remissio culparum venialium, sed etiam reliquiarum peccatorum aliorum ad effectum, quem diximus, denotatur: & ita licet nobis constaret, aliquem nullam culpam veniale habere, sine mendacio aut falsitate hoc Sacramentum sub prædicta forma conferte possemus. Quare cùm B. Virgo nullum peccatum commiserit,

ut usum has-  
tionis.

90.  
Nullus est  
capax hujus  
Sacramenti;  
nisi qui po-  
test esse peni-  
tentes.

Hiquæus,  
Nagn.,  
Sylvius,  
Sancius,  
Aversa,  
Valquez.

91.  
Quidam tib.  
liquia peccato-  
rum.

Aug. 14.